



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

6 Possit ne priuilegiatus vti suo priuilegio in quolibet loco, etiam extra
territorium concedentis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

semper causam habere debet. Nam vel privilegium est dispensationem legis communis, & tunc omnes concedunt ratione dispensationis causam ad se debere, ut licet legislator procedat aliis non leuaret iustitiam distributiuam, si pro sua voluntate, nulla alia causa intercedente, alicui communi lege eximeret. Si autem est purum beneficium Principis, neque alicui iuris, nec iuri communi derogans, etiam causam honestam habere debet, ut licet concedatur: aliis prodigalitatibus, & vitij acceptationis personarum arguetur, & occasionem dabit inuidiae, & perturbacionis reliquis aliis non privilegatis: & ita tenet Suarez lib. 8. cap. 21. num. 2. Salas disp. 17. sect. 4. sub num. 29. etiam contra tenet Sanchez lib. 8. de dispensat. disp. 1. num. 3. Causa autem concedendi privilegium, non est necesse, ut immediate bonum commune respiciat, quia privilegium est lex privata, & primario bonum priuatum respicit, quare si in remuneracionem alicuius virtutis, scientiae, vel laboris privilegij conceditur privilegium, sufficiens tunc honestas eius concessio, quia haec causa particularis mediata ad bonum commune dirigitur, quatenus fouet religionem, pietatem, vel iustitiam, sic Salas disp. 17. sect. 4. §. 2.

Quod si de valore privilegij loquamur, si legislator velit dare absque causa, validum est privilegium, quia semper est de re, quae solum a voluntate legislatoris pendet, nam si privilegium est purum beneficium, est de bonis illi tubiectis, & quoniam ipse est dominus: si autem est dispensationem suae legis, si cui potest legem totam abrogare, ita potest limitare illius obligationem, & ratione illius limitationis aliquas personas eximere, sic Suarez, Salas, & Sanchez sup. a cum communi sententia. Quod secus est de indulgentiarum concessione, quia tunc dispensant nomine Christi, de eius meritis, & reliquorum Sancto- rum, cui dispositioni Christus non censetur consentire, nisi quando rationabilis est, & ex iusta causa procedit. Dixi valere privilegium si legislator velit dare absque causa, quod nunquam est praesumendum, quia nunquam debet delictum praesumi, praecipue in Principe, & ex dictis constat esse delictum, si absque causa concedatur. Ex quo fit saepe inuaidum esse privilegium, quia causa, ob quam fuit concessum, vere non est, sed falso allegata, ut infra dicemus: quando autem privilegij bona fide procedit, vel Princeps motu proprio privilegium concessit, semper praesumi debet, esse tunc concessum, quia stat praesumptio pro legitimitate, sic Salas supra sect. 4. num. 30.

PUNCTUM VI.

Possitne privilegiatus uti suo privilegio in quolibet loco, etiam extra territorium concedentis.

- 1 Pro omni loco concedentis valet privilegium.
- 2 Si a concedente limitatur pro aliquo loco, extra illum non potest exerceri.
- 3 Si privilegium sit dispensatio alicuius impedimenti, se habilem reddat pro omni loco, ac si impedimentum non habuisset.
- 4 Si usus tui privilegij non est extra territorium concedentes prohibitus iure communi, aut speciali constitutione illius loci, tunc illo poteris.
- 5 Secus est, si obstat legibus, & constitutionibus contrarium respicientibus.
- 6 Expenditur, utine possit privilegio ab Episcopo concesso, si eius usus obstat legibus communibus, vel municipalibus illius loci, qua transit? Responditur, ut probabiliter, et uti non posse, si usus aduersetur speciali constitutioni illius loci, secus si communi.
- 7 Proprietas aliquot oblationes.
- 8 Illis si satis.

Primo certum est privilegium concessum absolute, & sine ulla limitatione valere pro omni loco, & territorio concedentis; quia non est maior ratio de uno loco, quam de alio. Ergo ne iniuriam sit, ambiguum, & incertum pro omni loco intelligendum est, adde, si legislator non vellet pro determinato loco privilegium valere, ipse se debet explicare: cum autem non se explicauerit; prudenter intelligitur pro omni loco concessisse, praecipue cum sit regitur §. 5. contra eum, qui legem aperit, dicitur potius, est interpretatio faciendae, sic Suarez lib. 8. cap. 26. num. 2. Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 5. num. 1.

Secundo certum est, si ab ipso concedente privilegium limitatur pro aliquo loco, extra illum extendi non posse, quia non potest extendi ultra intentionem concedentis, cum ex eius intentione, totus valor privilegij pendat: haec autem limitatio colligi potest, vel ex verbis, quibus privilegium conceditur, vel ex fine, ob quem conceditur, vel ex materia circa quam conceditur. Quando ex verbis privilegij limitatio constat, tunc conclusio est clara, ultra illa extendi non posse. Si vero verba sint indifferencia, & ex fine, aut ex materia concessiois appareat pro aliquo determinato loco privilegium concedi, ultra illum extendendum non est. Haec ratione dicunt plures Doctores privilegium Bullae cruciatæ concessum Hispanis comedendi la-

eticinia tempore Quadragesimæ; non posse extra Hispaniam extendi, quia ob inopiam piscium Hispanis conceditur. Credo tamen non esse hunc finem, sed icium rigorem temperare famelicis bullam, ob subsidium, & elemosinam ab ipsis datam: alias habitantes in locis maritimis, ut sunt plures in Hispania, privilegio illo uti non possent. Sed quidquid sit de hoc exemplo, regula est certissima, vnicuique conferri finem concessiois esse pro loco limitato, non debere ultra illum extendi. Hic autem finis ex tenore ipsius privilegij cum antecedentibus, & consequentibus, & ex materia ipsius coniecturandus est.

Tertio certum est, si ratione alicuius impedimenti, inhabilitatis, irregularitatis, & dispensationis in supra dicto impedimento, ubilibet poteris uti functionibus communibus, ac si impedimento nunquam fuisset ligatus, hoc enim non est concedere privilegium pro omni loco, sed tollere impedimentum, quod tuam habitatem impediobat: sic exoratus impeditur ob vorum castitatis, vel ob asinitatem contractam petere debetur, si dispensationem impedimenti obtineat, ubilibet debetur petere potest: & irregularis, suspensus, & excommunicatus, qui ratione excommunicationis, suspensionis, aut irregularitatis impeditur erat ordinis, aut beneficium suscipere: si dispensationem obtineat, habilis ubique manebit, sic Th. Sanchez lib. 8. dispensat. disp. 3. num. 27. aduersus aliquos num. 16. r. late.

Quarto certum est, si usus tui privilegij illo in loco, qua transit, non est prohibitus iure communi, neque aliqua synodali, aut municipalis constitutione, te illo uti posse, quia aliunde, quam ex iure communi, constitutione, aut mandato speciali superioris illius loci impediti non potest. Neque obstat, concedentem tibi privilegium exercere iurisdictionem extra territorium suum; quia non exercet iurisdictionem contentiosam, cum streptu iudicij, sed voluntariam, quam ubique exercere potest.

Quinto est certum, si privilegij usus obstat legibus, & constitutionibus respicientibus contra, vel boni in communi illius loci, qua transit, quibus legibus diximus in omnium sententia persequi, & forenses tenei, te illo privilegio uti non posse extra locum concedentis, quia concedens non habet potestatem (ut suppono) te a iurisdictione superioris illius loci eximere, qui non est superior illo: ac proinde non potest te liberare ab obseruatione illarum legum, qua reliqui peregrini, & forenses tenentur. In his consentiunt Doctores, ut constat ex Suar. & Bonac. supra.

Difficultas est, an uti possis privilegio a tuo Episcopo concesso, quando in alieno territorio existis; si eius usus obstat legibus communibus, vel specialibus constitutionibus, aut mandatis illius loci, qua transit? v.g. Obtinuisti privilegium eligendi confessorem, comedendi carnes diebus prohibitis, non recitandi horas, laborandi festis diebus, legendi libros hereticorum: quae omnia possunt esse & prohibita lege communi, & speciali aliqua constitutione, aut mandato. Difficultas ergo est, an possis uti illo privilegio, ubi conque existat?

Censo resolutionem huius difficultatis pendere ex illa, an forenses teneantur legibus, constitutionibus, & mandatis loci illius, qua transeunt. Nam in sententia illorum, qui dicunt non teneri, manifeste inferitur uti non posse privilegij supra dictis: siquidem mandato, lege, aut constitutione locali impediti non potes. At qua nos, ut probabiliter, retulimus, forenses non solum legibus per modum statuti, sed etiam per modum sententiae, hoc est, constitutionibus, & mandatis localibus ligari, sicut ligantur vicini, & naturales; ideo censo te supra dictis privilegij uti non posse, si illo in loco, qua transit, est specialis aliqua constitutione, aut mandato prohibitus illorum usus: quia ab obligatione illius constitutionis, & mandati, quam contrahis ratione transiens habitacionis, exemptus esse non potes virtute privilegij alibi tibi concessi, quia privilegium illud non est ab aliquo, qui potestatem habeat remittendi obligationem impositam tibi per superiorem illius loci, qua transit; quia non est superior illo, & ita docet Suar. lib. 8. cap. 26. a num. 7. Salas disp. 17. sect. 10. num. 54. Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 6. num. 4. Aduerte, etsi Bonacina; & Suarez, cum de obligatione forenium legibus loci, qua transeunt, loquerentur, affirmarent, non teneri mandatis, & sententijs superioris illius loci; nihilominus in praesenti dicunt privilegium his teneri: neque uti posse privilegio eligendi confessorem; aut comedendi carnes, si specialiter prohibetur a super ore illius loci, quod non videtur satis consequenter. Aduerto secundo ex benigna interpretatione voluntatis superioris illius loci, qua transit, praesumere potes te obligatum non esse eius legibus a quibus in tuo territorio exemptus es, & quae specialiter loci illius non sunt propriae, sic Salas disp. 17. sect. 10. numer. 56. Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 7. numer. 6. Suar. supra.

Si autem usus tui privilegij non sit contra aliquam specialem constitutionem, aut mandatum loci illius, qua transit, sed solum aduersetur legi communi aequae in tuo, ac in alieno territorio obliganti, ut probabiliter existimo te exemptum esse, licet que uti posse tuo privilegio, quia obligatio illius legis eadem est.

DE
ASTRO
PALACIO
TOM.
II
EL

est in tuo, ac in alieno territorio, sed ab obligatione illius legis exemptus es virtute privilegij: ergo ubique exemptus es. Et confirmo. In lege communi, & generali non dispensat Episcopus, nisi ex commissione Pontificis: sed si Pontifex dispensat, valet dispensatio, & privilegium pro omni loco. Ergo etiam valet, quando dispensat Episcopus. Quia ratione dicitur communiter Doctores dispensatum ad plura beneficia à legato Sedis Apostolicæ, posse vbi libet ea retinere, & accipere, quia nomine Pontificis dispensatio in iure communi facta est: & ita docet Suarez libro 8. cap. 26. à num. 15. & seqq. Salas disp. 17. sect. 10. Bonacina disp. 1. qu. 3. punct. 6. num. 4. Sanchez l. 8. de matrim. disp. 31. num. 17. Azor lib. 5. cap. 23. quæst. 6. & alij plures ab eisdem relati.

7 Sed obicitur primò. Si ea, quæ sunt prohibita iure communi, speciali etiam constitutione, & mandato superioris illius loci prohibentur, privilegium te liberare non poterat ab illorum obligatione: ergo neque liberat, quando solum iure communi sunt prohibita. Probo consequentiam, quia prohibitio specialis non addit specialem obligationem; aliàs grauius delinquerent subditi, quoribus à pluribus superioribus illis materia prohiberetur. Secundo Episcopus illius loci tibi prohibere potest vsum privilegij à tuo Episcopo concessi: quia constitutio illius, & mandata illius Episcopi, vbi relides, obligaris, sicut ceteri commorantes. Item si est privilegium de non ieiunando diebus prohibitis ab Ecclesia, potest tibi impetare ieiunium, cui præcepto debes obedire. Ergo signum est privilegij non integrè liberatum te esse à præcepto. Tertio ideo teneris seruare statuta, & leges loci, quia transis; quia per habitationem etiam transiens factus es pars illius loci, & est inconueniens, quod pars discorret à toto, sed eadem ratio, imò efficacior militat in lege vniuersali. Ergo. Quarto ideo privilegium tui Episcopi non ieiunandi, non te eximit à constitutione, & lege ieiunij alterius Episcopi, quia est diuersa lex, & diuersa obligatio ab ea, à qua dispensationem obtinisti: sed lex communis, & generalis, est physice vna, & eadem in omni loco videatur esse: at moraliter, & secundum obligationem, in quolibet loco distincta est, quod ex eo sufficienter constat, quia abrogari potest consuetudine in vno loco perseverando in alio. Ergo licet tuus Episcopus tibi privilegium concesserit in lege communi, non inde infertur in omni illius obligatione concessisse, sed solum in obligatione sui territorij. Ergo obligatio alterius territorij, qua transis, te ligat.

8 Verum etiam hæc argumenta, & præcipue quartum satis probabilem reddant sententiam affirmantem privilegium à tuo Episcopo concessum non te liberare ab obligatione legis communis quantum in alio Episcopatu commoraris: nihilominus, quia contractum est communiter receptum, ideo retinendum est. Quare ad primum dicimus prohibitionem factam per statutum speciale, non addere supra communem legem specialem obligationem in his, qui lege communi ligantur; quousque illi privilegium manifestes, quia ad manifestationem te obligare potest. sic Suarez illo cap. 26. num. 17. Ex quo fit, si licentiam habeas celebrandi, administrandi sacramenta, eligendi Confessorem, comedendi carnes diebus prohibitis, &c. debere Episcopum examinato privilegio tibi liberatum vsum relinquere.

Ad secundum nego Episcopum illius loci, in quo transeunt relides, ubi impedire posse vsum privilegij à tuo Episcopo concessi, nisi ex subreptione arguatur, acque impetare ieiunium, quo iam exemptus es, nisi aliquam specialem, & honestam causam habeat: poterit tamen tibi impedire vsum privilegij, quousque illi privilegium manifestes, quia ad manifestationem te obligare potest. sic Suarez illo cap. 26. num. 17. Ex quo fit, si licentiam habeas celebrandi, administrandi sacramenta, eligendi Confessorem, comedendi carnes diebus prohibitis, &c. debere Episcopum examinato privilegio tibi liberatum vsum relinquere.

Ad tertium concedo ideo forenses obligari constitutionibus loci, qua transit, quia est factus pars illius, & non habet privilegium exemptionis ab illorum obligatione: quia ab obligatione legis communis habet privilegium exemptionis, ideo lege communi non tenetur.

Ad quartum concedo te obligari lege, & constitutione municipalibus, quia est diuersa lex à diuerso legislatore proveniens, à quo non habes exemptionem: at non obligaris lege communi, quia esto in diuersis locis habeat distinctam obligationem, ab omnibus illis exemptus es per privilegium concessum ab ipso legislatore, nomine enim ipsius tuus immediatus Prælati privilegium, & dispensationem concessit: & cum dispensatio facta sit facta absolute, pro omnibus locis debet intelligi.

PUNCTUM VII.

Utrum privilegiatus teneatur suo privilegio vti.

- 1 Nemo tenetur speciali privilegio vti.
- 2 Excepitur, nisi per privilegium legi subiciatur, cum antea subiectus non esset.

3 Explicatur supradicta limitatio.

1 Resolutio communis est neminem teneri suo speciali privilegio vti, cap. si de terra, de privilegiis. quod enim in fauorem alicuius factum est, non debet in grauum eius retorqueti, ex regul. 61. de regul. iur. in 6. Neque contra hanc resolutionem obstat, quod clericus debeat vti privilegio fori, & canonis, si casus occurrerit, quia non cogitur vti privilegio sibi specialiter concessio, sed privilegio concessio statui clericali: & cum ipse statum clericalem à se abdicare non possit, neque etiam privilegium poterit abdicare.

2 Aliqui limitant supradictam resolutionem, dummodo per privilegium non fiat actus licitus, qui antea illicitus erat, & legi subiciatur: nam in huiusmodi casu tenetur privilegiatus suo privilegio vti. Exemplum adhibent in præcepto audiendi Missam tempore interdicti, quo ratione interdicti excusatur: at si privilegium habeas audiendi Missam tempore interdicti, illam audire tenentis. Ecce qua ratione privilegio vti cogeris: sic Bonacina disp. 1. quæst. 2. punct. 4. fin. Idem est in coniuge votum castitatis habente, qui ob matrimonij ius tenetur reddere debitum petenti: at si alter coniux adulterium commiserit, iam ratione illius excusatur à redditione, & non solum excusatur, sed neque potest reddere, quia tunc votum castitatis seruari potest, ut docet Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 6. num. 15.

3 Verum, ut rectè notat Suarez lib. 8. de legib. cap. 23. n. 9. circa finem, hæc non est limitatio communis resolutionis, quia obligatio in supradictis casibus non provenit ex privilegio, sed ex voto, aut Ecclesiæ præcepto, nam in illo casu interdicti privilegium tollit interdictum respectu privilegiati: sublato autem interdicto, præceptum Ecclesiæ manet, & privilegiatus obligatur. Ergo non ex privilegio, sed ex præcepto Ecclesiæ nascitur obligatio. Et idem est in illo coniuge votum castitatis habente, impediebatur enim ab obseruatione voti ob ius alterius coniugis petentis debitum, quo iure priuatur per adulterium, & sic cessat impedimentum, quod coniux innocens habeat seruandi integrè votum, tenetur ergo postea adulterio illud seruare, quæ obligatio non oritur formaliter ex privilegio obtento per adulterium, sed ex voto facto.

PUNCTUM VIII.

Utrum privilegiatus vti possit suo privilegio aduersus pariter privilegiatum?

- 1 Affirmatiuè respondetur.
- 2 Quid dicendum, si in re diuersa alius privilegiatus sit?

1 Conclusio est affirmatiua, & ratio euidens, quia si tuum privilegium æquale est alteri privilegio illo non derogabitur: vti ergo illo poteris, non obstante alterius privilegio. Explico conclusionem. Exemptus es à decimis soluendis, alius item similiter exemptus est, exemptio alterius non potest tuam impedire, & est omnino per accidens, aliàs implicaret simul pluribus idem privilegium exemptionis concedi, si vnus privilegium alterum impedire posset: sic Couar. in reg. passor. 2. p. 5. 2. num. 4. Suarez lib. 8. cap. 23. num. 3.

2 Difficultas ergo solum est, an vti possis tuo privilegio aduersus illum, qui in re non similis, sed diuersa est pariter privilegiatus, v. g. exemptus es à decimis soluendis: alius habet privilegium accipiendi decimas à quocunque, in suo territorio existit. Item habes privilegium, ne ob debita possis vinculis alligari, alius vero habet privilegium comprehendendi quemlibet sibi debitorem, poteritne vti tuo privilegio: nam si illo vteris, iam tuum privilegium superius est alio, siquidem præualeat aduersus illum.

Dicendum ergo est in supradicto casu te vti posse tuo privilegio, nisi per privilegium alterius sit specialiter derogatum, quia cum tuum privilegium sit speciale, & aliud sit generale, speciale præualeat: quia generi derogatur per speciem, ex reg. 34. de reg. iur. 6. Neque obinde fit tuum privilegium præualeat aduersus aliud generale, quia in generali subintelliguntur excepti privilegiati specialiter: sicut in omni lege generali subintelliguntur excepti qui privilegium exemptionis habuerint: & ita non sunt privilegia formaliter contraria, licet videantur esse, sed vnus est generale, & aliud speciale, non specialiter oppositum generali, sed ab illo exceptum, & ita tradit Eman. Rodriq. tom. 1. qq. regul. quæst. 9. artic. 11. vbi duplici exemplo conclusionem illustrat, quæ ibi videri possunt, & tradit optime Salas disp. 17. sect. 14. sub num. 74. Quod si privilegia reperiantur contraria, neque aliqua via appareat, quomodo in concordiam reduci possint, ut vtrunque valeat, tunc examinandum est, quod sit antiquius, vel ab alicui Prælati concessum, & illud iudicandum est præuolare: aliud verò illi contrarium cessare. sic Suarez lib. 8. cap. 23. num. 5. & 6. Ex quo colligit Emanuel Rodriguez suprad. Si aliquid monasterium edificatum privilegio gaudeat, ne aliud intra ceteras cannas edificetur, & alteri sit concessum intra cannas illas edificari, nisi supradicto privilegio derogetur